



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Vita Et Moribus Ioannis De Almeida Societatis Iesv Presbyteri

Macedo, António de

Romae, 1671

Liber Secundus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44105**

## LIBER SECVNDVS

## CAPVT PRIMVM.

*In Domo S. Pauli confessariū agit  
multa scitu digna edit prodigia.*

**R**actis iam ab assiduis laboribus, & à longa ætate viribus, in S. Pauli Domum, Superiorum mandato, Ioannes concessit; vbi nouo animi impetu capto, ad excolendam Domini vineam, quæ syluescere cum vitijs cæperat, totum se contulit: quanto cum rei Christianæ commodo, ab emendatione morum, à malè parti lucri restitutione, à frequenti Sacramentorum vsu, à pace grauissimis allata discordijs, satis apparuit. Porrò etsi altioris ille doctrinæ, quæ Theologiæ scholasti-

cæ

caë nomine continetur, præfidijs  
munitus non esset, præclaris ta-  
men rectæ vitæ exemplis, & pijs  
de rebus diuinis sermonibus,  
quos passim cum Brasilijs, & Lusitanijs  
habebat, omnes ad pietatis  
officia incitabat; nimirum rapit a-  
nimos virtus eximia, tumque ma-  
ximè cum per exempla illustria,  
cælestem suam pulchritudinem  
prodit. Accessere complura pro-  
digia naturæ viribus maiora, il-  
lius ope, precibusque patrata, quæ  
omnium mentes hominis vene-  
ratione iam captas, pronas ad se-  
ctanda Christi vestigia reddide-  
runt. Ire per singula operæ pre-  
tium erit, ne si ex ijs quædam in  
lucem demus; quædam silentij te-  
nebris inuoluamus, communi  
republicâ vtilitate fraudemus,  
& tanti viri gloriæ detrahamus.

Puella quædam cognomine  
*Grimanesa* videndi facultatem

amiserat; in grauem etiam morbum inciderat: multos iam annos in perpetua nocte mæstissimam tolerabat vitam: vocatus Ioannes, ubi decumbentis confessionem excepit, & manum capiti imposuit, preces quasdam recitando, tenebris ægra repente discussa, optatam cum sanitate oculorum lucem recepit, integrisque è lecto viribus surgens domesticis capere vacare ministerijs.

Transuersus in vtero cuiusdam fæminæ fætus hærebat, neq; maturo iam tempore in lucem edi, neq; brachiolum, quod extulerat, contrahere poterat; interim fæmina acerbis cruciabatur doloribus, & in aperto vitæ discrimine versabatur. Ioannes rei cōscius eò accurret, vt periclitantis è partu cōfessionem audiret: peracta confessione brachium cruce signauit, eoq; adhibito remedio tam facilem illi

par-

partum præstitit, vt protinùs innoxia sætum effuderit.

Blasius Mendez graui, & periculoso iamdudum morbo laborabat: huic Ioannes diuino illustratus lumine aliquando prædixit, illum præfenti quidem ægritudine liberandum, cæterùm in sequenti anno grauiori correptum iri, ex qua vltimã obiret diẽ. Prædictioni fidem fecit euentus; æger breui conualuit; sub finem tamen sequentis anni iterum decubuit, & decessit.

Sebastianus Gillius brachij alterius patiebatur dolores, quod propterea alba obuolutum fascia de collo suspensum gestabat. Semel contigit, vt se offerret viæ comitem Ioanni rei Christianæ causa, vicinos Brasilorum pagos percurrere cogitanti, qui vt hominis vrbانيتati se gratum ostenderet, & officium rependeret be-

nēficio, manu illius brachium leuiter tetigit; eoque tactu dolores sedauit.

Pergebat aliquando in villam à S. Pauli oppido parùm distantem, vt cuidam mancipio grauiter ægrotanti, & confiteri volenti aures daret : itinere ferè toto importunus imber, quòd pluuiũ tempus esset, ipsius vexauit Socium; isque totus pluuia madidus ad infirmi casam peruēnit : sicco prorsus, & intacto Ioanne, à cuius vel extremo villo vestis imber abstinnit.

Vitulus natus erat tibijs in arcum recuruatis : non ijs insistere; non loco mouere se poterat: opus erat vt bubulcus bestię perindè, ac nutrix infantis, curam haberet. Igitur tantę redimendę causę molestię, vitulum accipit in brachia, & Ioannem conuenit, multisque ab illo precibus contēdit:

vt

vt rectas vitulo suo tibias, pedesque restituat. Ille rustici fiducia, & simplicitate captus, re prius Deo commendata, imperavit adstanti, vt vitulum suis vti pedibus finiret, & aperto campo vagari: res mira: vitulus explicatis de repente tibijs, pedibusq; iusto loco restitutus integer, & sanus extitit: mox è bubulci brachijs saltu defiliens ludere, currere, & toto lasciuire campo cepit, cunctis, qui aderant, rei nouitate attonitis.

Vigente ad multos dies solis æstu, soloque nullis è cælo effusis imbribus arefcente, languebant faseoli, quos in suo seuerat hortu Maria Pedrosa, fæmina Lusitana: ad Ioannem supplex confugit: & suos illi faseolos valdè commendat: is lustrali aqua hortum adspergit, eiq; ac si rationis compos esset, iubet pro imperio, vt Mariam voti sui cõpotem faciat.

Triduo exacto, hortus imperantis dicto, & Mariæ votis abundè respondit: tantamque illius generis leguminum fudit copiam, vt fidem penè excederet.

Excurrebat aliquando ad confessionem ægotantis in rusticana villa mancipij, affecta quamquam tum esset valetudine: optimum quippè ducebat sibi deesse, ne deesset ægotis; peracta confessione, villæ dominus officij sui esse duxit rete pensile, baiulis mācipijs, quo domum reueheretur, illi offerre, qui commodissimus habetur per Brasiliam iter agendi modus. Negavit Ioannes se corpore vtcumque firmo, eo retis genere indigere; multaque in hanc sententiam dixit. Cæterùm importunis demùm precibus cedens se in rete cōposuit. Parum à loco proefferat, cū baiulis minimè sentientibus, à reti auolauit, & ad S.

Pau-



Paulum citissimè præcucurrit; eò cum baiuli post aliquot peruenissent horas, ad Collegij ostium illorum præstolantem aduentum. Ioannem viderunt, modestè subridentem; quasi admissæ piæ fraudis conscius deceptos vellet admonere de subtracto onere, & inani sarcinæ iactatione: baiulis sibi opus non esse: illorum proinde versuram, pro arbitrato, vel admittere, vel reijcere.

Vir quidam religiosus oppidi, quod *Sanctorum* dicitur de atroci patrando facinore secum, nemine conscio agitabat: quòd id flagitij genus ne subolere cuiquam, vel maximè fido debuerat propter atrocitatem. Sed non tulit tacitū Deus, qui Ioanni longè apud S. Paulum habitanti reuelavit: què inde miro quodam modo ablatū in cubiculum religiosi hominis nihil minùs cogitantis coram per spe-

spe-

speciem exhibuit: a quo seuerè reprehensus, destitit à proposito, & ad Deum ritè, ac ex animo cōuersus, veniam ab eo, cum lacrymis impetrauit. Re ex sententia, confecta, Ioannes in suum se opidum, cubiculumque recepit.

Brasilo cuidam in pago Conceptionis (sic vocant) ex pestifero contracto morbo mors imminabat; quàm, & ille expectabat in horas, omnibus iam Sacramentis ritè munitus: propinqui etiam necessaria ad funus parabant. Interim aduenit Almeida, benedictionem moribūdo impertijt; qua recepta, subitò conualuit.

Affirmabat Antonius Rodericius, vir antiquæ fidei, & probitatis, sæpè à se visum fuisse Ioannē manus imponere pueris malè valentibus, eosque statim parentibus sanos reddere.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

*Illustria quædam in eodem Oppi-  
do vaticinia.*

**P**ropria Ioannis fuit peren-  
nis quædam rerum futura-  
rum cognitio diuinitus compara-  
ta; quæ ita per omnes illius vitæ  
vagatur actus, vt tota perpetuis  
vaticinijs contexta esse videatur.  
Quò res sint lectoribus notiores,  
singulas singulis Collegijs, in qui-  
bus contigerunt, cum alijs tamen  
mixtas prodigijs, iusto ordine af-  
signabimus; A S. Pauli domicilio,  
quod senio iam grauis, primùm  
incoluit, initium ducemus.

Elisabetha Nunes Moreira pa-  
rum æquo ferebat animo ancil-  
læ cuiusdam morbum, & grauem,  
& diuturnum: illam Ioannes inui-  
sit, & benignè monuit, vt suam ad  
Dei

Dei voluntatem omninò componeret; à Deo quippè decretum esse, vt quotquot tum erant in eius domo familiares breui obiret. Vaticinatio verior fuit, quàm letior: vix pauci decurrerant dies, cùm omnes sunt mortui.

Oneraria Castellaua, ex Hispania in Occidentis Solis Indiam soluerat; sed fæda tempestate iactata, diffractò malo, lacerisq; armamentis, Sanctorum in Brasilia portum ægrè tenuit. Vectores maris sæuitiem, naureamque perterriti, relicta eo in portu nauis, terrestri se contulere itinere ad S. Paulum, duodecim ferè leucas, vti in loco diximus, mediterranea versus, ab Oppido Sanctis disiunctum: ibiq; ingenti pecuniæ summa proposita, peritum aliquem viæ duem quærebant, qui illos per inuias quasdam solitudines ad Buenos Aires, nobile ad Argentin-

genteum Fluuium, Hispanæ gen-  
tis Emporium, deduceret: sed quia  
latè indomiti, immanesque cole-  
bant Barbari, res erat plena dif-  
criminis, quod adire horrebant  
omnes; vnus inuentus est Lusita-  
nus, magni vir animi; qui se iti-  
neris ducem suis cum mancipijs  
Hispanis obtulit. Antequàm in-  
viam se daret, Ioannis se preci-  
bus commendauit. Is hominem à  
suscepto consilio multis rationi-  
bus auertere frustrà conatus, pa-  
lam confirmauit: pertimescere se  
valde, ne quid illi grauis in itine-  
re accideret incommodi; ne uè ab  
illius Socijs diuina Maiestas se-  
cretioris alicuius delicti pœnas  
expeteret. Nec vanus, sed reli-  
gionis plenus is metus fuit. Eius  
negligens Lusitanus necessarijs  
rebus instructus cum Socijs iter  
capessijt. Post aliquot dies ventū  
in montes, vnde nota fiebant via-  
rum

rum diuortia: inde Hispani rectā  
 ad Buenos Aires viā arripuerunt:  
 Lusitanus suis cū mancipijs san-  
 ctum Paulum versū redijt. Vix  
 mouerat loco, cū fædum quod-  
 dam morbi genus eum, Socioſq;  
 inuaſit: & pestilentem vim morbi  
 ægritudo animorū, omniumq; re-  
 rū inopia vasta illa in solitudine  
 augebat. Iacebant miseri suis ad  
 arbores suspensi retibus, Brasilię  
 more, macie deformes, mortuis,  
 quā viuis propiores, circum-  
 frementibus diū, noctuque feris,  
 quæ prædæ suspensis inuolutæ  
 retibus inhiare videbantur. In his  
 rerum angustijs subijt animum.  
 Lusitani sera pænitentia facti, &  
 certa Ioannis prædictio: huius cę-  
 pit inuocare nomen, & auxilium  
 implorare. Res dictu mirabilis: fē-  
 sit is leucas ferè ducentas absens  
 miseri preces; ac repentè huma-  
 na maior speciē, media illa in fo-  
 li-

litudine oranti apparuit: secumq;  
detulit vas ingens purissimo mel-  
le plenum, Brasiliçę etiam farine,  
maceratęque ad fumum bubulę  
quantum fame laborantibus ad  
multos dies satis esset: mox Lusi-  
tanum proprio compellat nomi-  
ne, blandisque solatur verbis; ac  
mœrore torpentem excitat, iu-  
betq; vt sumpto cum Socijs cibo,  
Sanctum Paulum confestim repe-  
tat: eoq; vētuos omnes incolumes  
certò denuntiat. Quibus dictis, vi-  
deri desijt. Ergò Lusitanus cęlesti  
fiducia plenus, inter Socios parti-  
tur cibum; illoque sumpto, sense-  
re omnes illicò sibi vires restitui,  
& nouo quodam animos vigore  
roborari. Recreati, ac refecti da-  
pibus, itineri se commiserunt; ac  
diuina regente clementia, multis,  
& grauibus defuncti periculis, ad  
oppidum Sancti Pauli incolumes  
peruenerunt. Necdum finis pro-  
di-

di-

digiorum. Lusitanus antequàm  
 domum se reciperet, & vxorem  
 cum filijs præ gaudio gestienti-  
 bus, quæ sibi occurrerat in platea  
 salutaret: officij sui esse duxit ad  
 S. Michaelis pagum vicinũ di-  
 uertere, in quo tum Ioannes Cu-  
 rionis officio fungebatur. Eò cum  
 peruenisset, ad illius se abiecit pe-  
 des; nec finem fecit agendi gra-  
 tes; donec is manu alieuatũ,  
 Christo Dei filio, & humanæ sa-  
 lutis vindici gratiam habere, do-  
 mumque redire iussit, vt vxorem,  
 & filios, quos in oppidi platea  
 obuiam sibi factos mæstos, & in-  
 salutatos reliquerat, sui aspectu  
 alloquioq; soletur. Sic Lusitanus  
 redditus suis, & Ioannes mirabi-  
 lis omnibus visus est. Quanta hic  
 & quàm illustria iasint, & vaticini-  
 a, & prodigia, non est meum, qui  
 Scriptorem ago, expendere: refer-  
 re officij mei est. Erunt qui, vel le-  
 gen-



gendo ponderent, vel dicendo  
amplificent.

Nonnulli ex oppidanis inito  
inter se fædere decreuerant, vici-  
nos Brasilorum pagos armis in-  
uadere, & incolas in seruitutem  
abducere: nec vlli mortalium rem  
detexerant: eam tamen odoratus  
Ioannes consilij authores mone-  
re institit, orare etiam, & obtesta-  
ri, ne fæderatis pagis bellum in-  
ferrét, ne publicæ pacis iura vio-  
larent; ne Lusitanæ gentis nomi-  
ni, illato per iniuriam bello, tur-  
pem dedecoris notam inurerent:  
sed nihil apud illos tãti viri pre-  
ces, & consilia valuerunt. Igitur  
properantibus ad bellum *Vereri*  
*se admodum*, dixit, *ne meritas ab*  
*illis diuinum Numen panas expe-*  
*teret*. Atque vti dixit, prorsùs eue-  
nit. Brasili quippè vbi iniquo se  
bello peti senserunt, coniunctis  
inter se viribus, & sumptis confe-  
stim

stim armis, Lusitanis occurrunt, multos sagittis configunt; non paucos interimunt; reliquos, iniecto, uti apparebat, diuinitus pauore animis, in fugam vertunt: nonnulli densa vicinorum nemorum umbra tecti mortem euadunt. Interfuit praelio Dominicus Maciel, vir pius, & honestus, de quo fama percrebuit à Barbaris fuisse occisum: idcirco Maria Aluarenga illius coniux, tam tristi perculsa nuntio vitam in lacrymis, & dolore trahebat: eam inuisit Almeida, iussitque bono, ac leto animo esse: Dominicum enim eius coniugem, ipso Natalis Christi die domum rediturum incolu- mem. Quae res per vicinos Brasilorum vicos late vulgata suspesos omnium animos expectatione tenebat. Ecce tibi ea ipsa quam Almeida designauerat die, Dominicus domum redit, suosque

in-

incredibili afficit gaudio; eoque plus admirationis res habuit, quòd locus vbi pugnatum fuerat; multa passuum millia aberat à Sancto Paulo.

Hoc ipso in Oppido sæua admodum tempestas contra Societatem exorta est, quæ nostrorum patientiam hominum valdè exercuit, & illorum ergà Brasilos charitatem maximè probauit. Oppidani coaceruandis per auaritiam pecunijs intenti, iniqua exerebant lucra, perque iniuriã parta vi retinebant: & quod deterius erat, nullum delictorum genus in indigenas non iustum putabant: eos dolis circumuētos excipere, iniusta detinere seruitute, modis omnibus vexare, quin etiã interdum impedimento esse neficerent Christiani, ne potestate illos diuexandi, eorumque vtendi opera in Sacararijs officinis pri-

uarentur: quo fiebat vt Brasili Europæos homines acerrimo haberent odio; & religionem Christianam veluti talium magistrum scelerum, hinc quasi ex certa nota æstimantes, vtrò damnarent. Ergo Socij, ne suo Patrum, & Curionum deessent officio, iniquis oppidanorum conatibus se opponere; auaritiam reprehendere, diuini numinis iram intentare, omnia moliri, vt Brasilorum conuersioni, & religionis bono consulerent. Illi contra, nostrorum reprehensiones ægrè ferre; flagrant in eos ira: odio furere: exilium minitari; eò procedente die, res deuènit, vt cum Socij à tuenda incolarum libertate, oppidani ab opprimenda non desisterent, ac veluti ex æquo religio cum impietate certaret, vicerit tandem, vt sæpe contingit, virtutem vitium, & pietatem improbitas. Ita  
que

que nostris vis facta: omnes à suis sedibus pulsi, alioque migrare coacti, non minori oppidanorum infamia, quàm exulum gloria. Affecit huiusmodi casus graui dolore Ioannem ea tempestate in alio morantem oppido, tum propter enormem iniuriam Societati illatam, tum propter indignum facinus à Lusitanis admissum. Cæterùm quia in eo exilio fidei magis causa, quàm Societatis periclitari videbatur, tandiù institit rem Deo enixè commendare, donec nostrorum ad suas sedes reditum precibus impetrauit. Itaque die quodam cum magno animi ardore orasset, voti se compotem factum sensit, prædixitque, multis simul adstantibus, redituram ad Sancti Pauli oppidum Societatem antequam ipse vltimam obiret diem. Vera dixisse probauit euentus; subla-

F

tis

tis quippè tempore procedente,  
 discordijs, compositisq; commu-  
 ni vtriusque partis consensu re-  
 bus, Socij paucis ante Ioannis o-  
 bitum mensibus, suo sunt Colle-  
 gio restituti, maiori cum oppida-  
 norum gaudio, quàm fuerant cũ  
 ignominia eiecti, vt publicum de-  
 cus, & gratulatio, publicum de-  
 decus, & infamiam compensaret.

### CAPVT TERTIVM.

*Alia in Sanctorum oppido edita  
 Ioanne prodigia.*

**A**Nnos ferè quatuor in San-  
 ctorum omnium Colonia  
 Ioannes consumpsit, non sine in-  
 genti Lusitanorum bono, & Bra-  
 filorum: neque intrà vnus oppi-  
 di, licet ampli, & opulenti fines  
 Apostolici viri charitas se potuit  
 continere, sed latè per vicinos

va-

vagata pagos, vniuersorum, tum  
animi, tum corporis commodis  
feruiebat. In primis omnium  
confessione constat repressã Al-  
meidæ consuetudine, & sermo-  
nibus illo in oppido peccandi li-  
cẽtiam, extincta multorum odia,  
iniquas mercatorum negotiatio-  
nes sublatas, inductum frequen-  
tem Sacramẽtorum vsum; & mo-  
rem audiendi profestis etiam  
diebus, Sacrum, aliaque, & pieta-  
tis in Deum, & in proximos cha-  
ritatis officia exercendi. Ita pau-  
cis à Ioannis aduentu mensibus  
Oppidanorum mores sunt immu-  
tati, vt alij prorsus, atque inuene-  
rat, apparerent: & tum demùm  
iustum oppido *Sanctorum* nomen  
conueniret. Ciuium præsertim a-  
nimos ad Dei amorem accende-  
bat concepta iam pridem de illius  
sanctitate opinio, maximum in  
persuadendo momentum: innu-

meris illustrata prodigijs: nonnulla ex ijs feligere relatu digniora, eaque litteris tradere, instituti mei esse duco.

Iuerant piscatum initio mensis Iulij simul cum Lusitanis Brasili in quemdam maris sinu paucis ab oppido leucis disiunctum. Comitem se discedentibus addidit Almeida, vt dum capiendis illi piscibus operam darent, ipse, Apostolorum more, animarum piscatorē ageret: ea tamen à nostris lege discessit, vt antè festum Beati Ignatij Societatis nostræ parentis, quod pridie Kalendas Augusti celebrari solet, in Collegium prorsus rediret. Solidum ferè mensem Socij piscando consumpserant: piscatio ex voto successerat, & Almeida egregiè munus suum obierat. Instabat iam Ignatij peruigilium, vrgebatque Dei Seruus discersum. Cæterum



coorta subito tēpestas profectio-  
nis consiliū disiecit: & ea erat lo-  
ci natura, situsq; vt nonnisi mari  
illuc adire, indeq; redire liceret.  
His temporum, & loci angustijs  
interclusus Almeida, animum nō  
despondit, sed fretus Deo, peri-  
culisque superior, seuienti magis,  
ac magis in singula momenta pe-  
lago minimè cedendum ratus,  
exigua admodum canoa mari se  
committere decreuit, vt Superio-  
rum mandatis satisfaceret. Tum  
Socij Brasili, & Lusitani illius ma-  
ximè amore ducti, & imminentis  
periculi metu perterriti, ad eum  
coire, obsistere, & orare, ne se in-  
fanis fluctibus velit obijcere, &  
cæco obedientię impetu ad mor-  
tem ferri: maiorum præcepta ra-  
tionis arbitrio temperanda esse,  
non præcipiti consilio exequen-  
da: remittendum breui pelagi fu-  
rorem, & procellam finem factu-

ram. Talia inculcantibus Socij  
 neminem minùs tangebant obie-  
 cta pericula, quàm ipsum qui erat  
 aditurus. Illis igitur valere iussis,  
 lætus, & alacer canoam conscen-  
 dit: indeq; conuersis in irata fre-  
 ta luminibus, & elata in altum  
 dextera, decumanis pelagi flucti-  
 bus benedixit: res dictu mirabi-  
 lis: de repente mare detumuit; vé-  
 ti posuere; & tempestate sedata,  
 tenebrisq; abactis serenitas cum  
 luce redijt: secunda paulò post  
 adspirans aura nauem sub ipsum  
 D. Ignatij peruigiliũ ad Sancto-  
 rum portũ celeri cursu prouexit.

Nobili puellæ, nomine *Mar-  
 cellina de Siqueira* tetri vis mor-  
 bi loquendi facultatem abstule-  
 rat; os etiam sædum in modum  
 distorserat, & hianti simile red-  
 diderat. Ioannem adiere illius pa-  
 rentes suppliciter obsecrantes, vt  
 ad ipsorum domum accedere di-

gna-

gnaretur. Eò cùm venisset, decū-  
bentis confessionem, vt potuit,  
audiuit; animi salute procurata,  
corpori etiam sanitatem, fufis ad  
Deum precibus, impetrauit.

Inuisit aliquando Michaellem  
Andradium graui iam dudum, ac  
periculoso laborantem morbo:  
occlusæ erant, de medicorum  
consilio, fenestræ cubiculi, in quo  
iacebat, ne quid noxiæ auræ  
admitteret: vix Almeida id fuit  
ingressus, cùm repentè cælesti  
quadam circumfusus luce, Solis  
instar, apparuit, locumque perob-  
scurum emissis à facie radijs il-  
lustrauit: illo indè exeunte, lux e-  
tiam pariter discessit. Paucis post  
diebus Andradius conualuit, vi-  
sumque à se Ioannem clarissima  
nitentem luce, & facie mirum in  
modum radiante, affirmauit.

Vehebatur aliquando naui cū  
Brasilis, & Iacobo Carrilio Lusi-

tano . Littus propemodum rade-  
bant, tranquillo mari, sereno celo,  
leni à puppi aura spirante: longè  
prouectos ad commodissimum  
maris sinum, quem valles ambie-  
bant multa nemorum amœnitate  
vestitæ, cæpit desiderium vehe-  
mens loci commoditate fruendi,  
seque à maris nausea paululum  
recreandi . Exscensione igitur in  
terram facta, & aliquot horarum  
quiete capta, Carrilius paucis  
comitatus Brasilis in proximam  
littori syluam, quæ gallinis sylue-  
stribus abundare ferebatur, ve-  
natum ire decreuit. Risit Almeida  
cùm Socios ad venationem ac-  
cinctos, & magnam gallinarum  
copiam spe iam deuorantes ani-  
maduertit: eosque inanes ad littus  
redituros prædixit. Nec dicto fi-  
des abfuit. Die ferè toto in vena-  
tione consumpto, ne vnà quidem  
gallina capta inanes, domum re-  
die-

dierunt. Postero die Ioannes Carrilium monet, & Socios, vt arma capiant; tempus etiam, & certum locum in quo venentur, intento in eandem syluam digito, designat: eosque lætos ire iubet, & fiducia plenos. Factum vt præceperat; ac intrà aliquot horarum spatium, tantam gallinarum cepere copiam, vt ijs ad littus portandis vix vniuersi venatores sufficerēt.

Idem Carrilius plures Ioannis epistolas pietate, monitisque cælestibus plenas in vnum fasciculum collegerat, quas pretiosi loco thesauri domi asseruabat, noctuque cùm ibat cubitum, capiti supponere cōsueuerat, vt illarum tectus præsidio securus dormiret. Contigit nocte quadam, vt excitato fortè domi incendio, cubiculum, in quo dormiebat, cum tota suppellectili conflagraret. Vnum illum fasciculum; quod pro-

digio, miraculoque non caruit;  
reliqua incensa domo, flamma  
non attigit,

Emmanuel Pirez Esquacia,  
Nauarchus Lusitanus, è Sanctorū  
portu soluere naue Brasilicis o-  
nusta mercibus cupiebat: sed  
quia importuna tempestas erat,  
longiorem, quàm vellet, moram  
trahebat in portu, non leui iactu-  
ra mercium. Ioannes miseri pre-  
cibus sollicitatus, ad maris littus  
se contulit: ibique furenti subin-  
de pelago, & insanos fluctus at-  
tollenti, frænū benedictione  
iniecit: sensit Oceanus potentis  
virtutem crucis: extemplò venti,  
vis, ac procellæ cecidit; mox tran-  
quillitas secuta est: secundaq; af-  
flāte aura, Emmanuelis nauis, ce-  
leriùs portū tenuit, quem petebat.

Semel inuisit Mariam Siquei-  
ram, foeminam eximiè piā: hæ-  
rebat Mariæ lateri filia nouen-  
nis,

nis, cui maior, quàm pro ætate, inerat prudentia, & morum probitas. Conuersis in virgunculam Ioannes oculis prædixit, fore vt breui Deiparæ affideret in cælo eodem fere modo, quò Matri adhærebat in terris. Paucis post diebus, præter omnium opinionem virguncula deceffit, haud dubia salutis spe concepta: æquum enim erat credere eodem Almeidam spiritu afflatum, & certum de obeunda morte vaticiniũ, & de obtinenda post mortem in cælo gloria edidisse.

Hæc, & id genũs alia edita à Ioanne prodigia, magnam illi apud omnes existimationem pararunt. Itaque cùm vulgò haberetur, vt Sanctus, & prophetiæ dono mirabilis existeret, Lusitani, & Brasili nihil ferè alicuius momenti, illo inconsulto agebãt: & cùm grauius premebantur morbis, sa-

lutarem illius opem implorabāt,  
& voti compotes passim fiebant,  
impetrata sanitate.

### CAPVT QVARTVM.

*Repetit Sinum Ianuarium : ibique  
multa præbet vaticinationis,  
& virtutis indicia.*

**A**Nno à partu Virg. 1639.  
senio iam penè confectus  
in Sinum Ianuarium Ioannes re-  
diit, vt frugiferam ea in Vrbe sue  
& aliorum iuuandis animis quie-  
tem ageret. Porrò etsi æqualem  
semper innocentis vitæ tenorem  
seruasset, in vltima tamen sene-  
ctute positus, ceu nihil anteacto  
tempore profecisset, ita omnes  
animi, & corporis vires ad profe-  
ctum intendit. Ergò ad summa  
quæque concitatissimè ferri: vo-  
lare magis, quàm currere: altiùs  
in



in rerum diuinarum contempla-  
tione mentem defigere: rigidiùs  
tractare corpus: ad religiosæ per-  
fectionis metam impetu maiori  
contendere; nec quicquam de  
charitatis ardore remittere, qua  
fouendæ inter proximos pietati,  
& illorum confessionibus audien-  
dis, assiduam dabat operam: in  
hoc totus esse; hoc omnibus ex-  
petere votis, vt Christum omnes  
colerent, & amarent. Nec verò  
splendore virtutum, quàm prodi-  
giorū multitudine fuit illustrior,  
vt quos ad Deum non traheret  
virtutis amore, rerum mirabilium  
nouitate alliceret.

Est animus ire per singula; cla-  
rissima quippè cum sint, non mi-  
nùs illa seruient lectorum oble-  
ctamento, quàm vtilitati.

Ludouicus Ribeiro de Silua  
gravi oppressus morbo, simul, ac  
capiti signū Crucis Ioannes im-  
pref-

pressit, recreari animum sensit, morboque omni corpus leuari.

Lecto tenebatur affixus Simon Vasconcellus Soc. Iesu Sacerdos, is qui postea Brasiliae fuit Provincialis, pestilenti afflatus aere, fusoque per artus humore noxio, & totius corporis membris captus, acerbos patiebatur dolores: mouere se loco non poterat: non cibum, aut somnum capere. Tertius currebat à contracto morbo iam mensis; cum Ioannes infirmi cubiculum ingressus, oculos in Christi è Cruce pendentis effigiem, quæ ibi erat, coniecit; & multis ab illo precibus ingrauescenti indies morbo remedium flagitauit: atque, vt maius precibus adderet pondus, Deiparæ etiam, Ignatij Soc. nostræ parentis, & Xauerij implorauit opem: vbi precandi finem fecit, Simonem bono animo esse iussit, eumque

que obtinendæ salutis spe imple-  
uit: Sequenti die summo mane  
reuisit ægrotum: Somno recrea-  
tum, meliùsque habentem repe-  
rit: induere sibi vestes confestim  
præcipit; è lecto surgere, contra-  
ctosque iamdudum artus per cu-  
biculum inambulando explicare,  
& exercere. Paruit mandatis Si-  
mon: dumque iste se domi conti-  
net explicandis à morbo gressi-  
bus intentus, ille in ædiculam B.  
Virginis *ab exilio* dictam, paucis  
ab Vrbe passibus distantem, per-  
git, sacri faciendi causà, in gratia-  
rum actionem; & ad id potestatē  
sibi fieri, sanitatis futuræ præsci-  
us multis ante diebus à Collegij Re-  
ctore petierat. Peracto Missæ Sa-  
crificio in Collegium reuersus  
Simonem obuium habuit, ita sa-  
num, ac confirmatum, vt nunquã  
decubuisse videretur.

Ioannes Oliua, rei domesticæ  
adiu-

adiutor, lenta tabescebat febris: in-  
gentem etiam foedi humoris co-  
piam singulis ferè diebus per os  
euomebat: propediem moriturū  
credebant omnes. Almeida illius  
persanandi miro tenebatur desi-  
derio: infirmorum quippè curam  
sic ille ex officio habuerat in  
Collegio, vt ab vnius salute om-  
nium pendere salus videretur. I-  
gitur à P. Rectore obtinuit vt si-  
bi liceret, Oliua Socio, in rustica-  
nam villam, animi gratia, per ali-  
quot dies secedere: ibi, ceu arduā  
aliquam expeditionem aggredi  
cogitaret, multis institit in seip-  
sum sæuire modis: iungere cum  
noctibus orando dies: quotidie,  
nec sine lacrymis, ad aram face-  
re. Dies nouem, quos Deiparæ, &  
B. Xauerio, ad impetrandam Oli-  
uæ sanitatem, votiuos destinauit,  
huiusmodi viuendi ratio tenuit.  
Nono iam exeunte die, voti se-

com-

compotem factum sensit, & salutem ægroto exoratum. Continuo lætis Oliuam vocibus compellat, *Charissime*, inquit, *frater*, *immortales Virgini, & Xauerio* grates agas, qui te mortifera laborantem febrim persanare voluerunt; latentique in hepate ulceri à quo ceu fõte, perennis manabat sanies, remedium adhibere. Sub ipsum Xauerij diem (hoc est postridie Kalend. Decembris) perfecte valebis, ut omnibus constet, te illius potissimum intercessione fuisse sanatum. Nec mora: Oliua in Collegium cum Ioanne reuersus, designata Xauerij die, perfecte conualuit: recuperata sanitate, & gratijs, uti par erat, Deo, & Xauerio actis, infirmorum curam gerere, & alia charitatis obire capit ministeria; eò alacrius, ac diligentius quo propius morti fuerat: nempè salutem sibi redditam esse sciebat, ut aliorum saluti, com-

mo-

modisque seruiret.

Dominicum Garciam phtisi propemodum confectum, eadem prorsus, qua Oliuam, medendi ratione, sanauit. Huic etiam humanioribus iam exculto litteris, & disciplinis grauioribus studere, cupienti serio consuluit, vt studendi curam omitteret, & ad alia Societatis munia exercenda animu verteret. Paulò post, quod nemo putabat, omissis Theologiæ studijs, alia religionis munia obire Dominicus iussus est; & in ijs reliquum vitæ tempus laudabiliter consumpsit.

Multi, & frequentes in familiaribus nostrorum colloquijs de Ioannis virtutibus sermones fiebant: alius, aliam laudabat virtutem. Nec deerant qui altiùs iusto illius sanctitatem efferrent, beatumque vocarent, & Apostolico plenum spiritu. Quidam verò qui  
 sibi

fibi prudentior cæteris videbatur, longè ab ea fuit opinione: negavit utique dici posse perfectum, qui suis erat, & animi, & corporis defectibus obnoxius. Non latuit res Ioannem in semoto admodum loco tunc orantem: ergò paucis post horis, cum in hunc ipsum incurrisset, extemplo ad illius se abiicit pedes; nec finem fecit agendi grates, quòd in familiari cum Socijs colloquio iustam de suis erratis tulisset sententiam: *Vnus tu omnium, inquit, de me optimè indicasti.* Ad hæc Socius erubuit, & viri sanctitatem, miratus est, qui etiam absens, divino illustratus lumine, longè dicta, factaque, Vatum more, perfectè cognosceret.

Neque domi solùm, sed etiam in Vrbe Ioannis opera, & virtus enituit.

Franciscus Barrettus de Faria  
ex

ex tetro quodam vlcere decum-  
 bebat, quod interiorem dextri la-  
 teris partem occupauerat, & con-  
 fluentibus eò humoribus noxijs,  
 mirum in modum intumuerat.  
 Aeger abiecta spe viuendi, & Ec-  
 clesiae Sacramentis ritè susceptis,  
 ad mortem se comparabat, & Io-  
 annem accersiri fecerat, vt sibi a-  
 nimam agenti adesse vellet: qui  
 tanto charitatis officio ne deef-  
 fet, statim accurrit, fusisq; ad Deū  
 precibus, & B. Iosephi Deiparae  
 Sponsi, ope implorata, latus dex-  
 trum, in quo latebat vlcus, Cruce  
 signauit: & ecce tibi illo ipso,  
 quo id egerat, momento, tumor,  
 dolor, vlcus euanuerunt.

Elifabetha Marisia, Francisci  
 Costæ de Barros, nobilis Lusitani  
 coniux, ex graui morbo, ac diu-  
 turno in vltimum venerat vitæ  
 discrimen; totos dies octo sine  
 cibo, potuque transegerat: cape-  
 rat



rat linqui animo, & voce pariter, sensibusque destitui: iamque extrema, tanquam depositæ, parabantur: cùm Ioannes opportunus aduènit, Deumque pro salute Elisabethæ breuiter precatus, seriò pronūtiauit, *Nequaquã ex eo morbo morituram.* Nec vana prædictio fuit; nec incassum fusæ ad Deum preces. De repentè visa meliùs habere fæmina, & liberiùs iam meante spiritu, oculos aperire; inde redeunte paulatim animo, circumstantes agnoscere, & sensuum usum cum voce pariter recuperare: nec multò post receptis à morbo viribus, domùs gubernationi vacare cæpit: quod ipsa salutis beneficium, secundùm Deum, Ioannis precibus acceptum retulit.

Infantem, nomine Antonium, feбри continua laborantem, imposita super caput manu, sanitati restituit.

Man-

Mancipium ex quodam vulnere in rixa suscepto, stuporem paralyfi similem contraxerat: os ei distortum, & ita clausum, vt nulla aperiri vi posset, nec ad inferendum quidem cibum: post multorum dierum inedia in extremum adductus discrimen est. Hunc conclamatum inuisit Almeida; manus ori adhibuit: de repente hiauit aeger, cibum admisit; potum accepit; ac deinceps suo loco os restitutum, & sanitas infirmo reddita: recreatus omninò conualuit: euentum admiratio consecuta.

Natum fuerat Antonio Coelio Oliuæ in sinistro latere ingens & malignum vlcus, quod procedente die, instar saxi induruerat, summis patientis doloribus. Post varia, & excogitata, & applicata à Chirurgis remedia, immedicabile apparuit: ventum ergò (quod in desperatis fieri solebat) ad Almeida-

meidam:is rem suscepit, & manus tactu vlcus sustulit, dolorem abstulit, periculum abegit.

Antonium Corream graui admodum morbo oppressum manu tetigit, & signauit Cruce; eoq; adhibito remedio, morbo leuauit.

Ludouicū Perez periculosus, & molestus morbus lecto affixerat; eoque detentus redire non poterat in Sanctorum Coloniam, vbi charissimam sibi coniugem, filiosq; reliquerat, vt ibi inter illorum amplexus, lacrymasque letus obiret. Erat tum in portu nauis ad profectiōem parata; sed urgente maximè per eos dies vi morbi, æger mari se committere formidabat. Ioannes rei cōsciū, Ludouicum monuit, metum poneret, & nauem conscenderet ad Sanctos Coloniam velificantem; eoq; venturum incolumem certò denuntiauit. Dictis respondit  
euen-

eventus: ægrotus conscensa nauis  
ad Sanctorum portum saluus ap-  
plicuit: ibique inter amicorum  
lacrymas, filiorum amplexus; &  
quod caput est, Ecclesiæ Sacra-  
mentis ritè munitus, haud dubie  
æternæ salutis spe concepta, fate-  
concessit.

Emmanuel Moura, Franciscus  
Madrizi, & Andreas Martinez,  
nostræ Societatis Alumni: item  
Rodericus Trancosus, Franciscus  
Monteiro, Franciscus de Oliueira,  
Emmanuel Vasconcellius, & cõ-  
plures alij ex omni sexu, atque  
ætate mortales, qui varijs, & gra-  
uibus decumbebant affecti mor-  
bis, Almeidæ precibus conualue-  
re protinùs.

Lusitanæ puellæ inter edendū  
spina faucibus hæserat; qua penè  
suffocata cum morte disceptare  
cæperat. Animam agenti applici-  
tæ Ioannis reliquiæ transuersam

im-

impulere spinam, eamque deorsum ad stomachum truserunt, & semimortuam à periculo liberarunt.

Cùm Sacram Eucharistiam accumbenti cælesti mensæ populo distribueret, iam iam daturus hostiam Brasilæ fæminæ contracta, subitò torpuit manus; hanc ob rē fæminam consultò præterijt. Rescitum postea illā baptismo nondum ablutam, ac proinde indignam esse, quæ diuino pabulo reficeretur.

Illud in paucis memorabile: Melchior Fonsca Nauarchus è Ianuario sinu aliò nauigare parabat. Cæterùm atris obductum, nubibus cælum, tenebrisque inhorrescens mare impendentem, in singula momenta tempestatem minitabantur, & Melchiorem cogebant plures, quam vellet, dies eo in portu hæerere. Ioannes, re

G

CO-

cognita, Nauarchum hortatur, ut  
mari se fidenter committat, Dei-  
paræ tamen auxilio prius implo-  
rato. Paruit ille Ioanni: conti-  
nuò nuncupatis Deiparæ votis,  
magno animo vela fecit, impor-  
tuno quamquàm tempore, atrisque  
nubibus incubantibus mari. Et  
multò magis Deo, ac Beatissima  
Virgine fauente, quàm ventis, ac  
tempestate obsecundantibus, in-  
eum ipsum, quem destinauerat  
portum, celeri nauigatione per-  
uenit. Vixdum portum navis at-  
tigerat; cùm nimbi dēssissimi (qua-  
si tum venia data) ingenti frago-  
re, impetuque, cælo effundi, mica-  
re fulgura, mugire tonitrua, fure-  
re venti, sæuire pelagus, & foeda  
exoriri tempestas cæpit: quæ Io-  
annis quasi suspensa precibus te-  
nebatur, donec Fonsæ navis tu-  
tam in stationem se recepit.

CA-

CAPVT QVINTVM.

*Alia à Ioanne præclarè gesta recensentur.*

**C**ollegij Fluuij Ianuarij architectura, quadrum ædificij exigebat: tribus iam partibus absolutis deerat quarta, quæ respiciebat subiectam, cui imminēbat ciuitatem: isque prospectus pulcherrimus futurus erat. Gruē de more troclea, & ductario fune instructam ad agenda sursum saxa operæ idoneo in loco statuerant. Aderat fabricæ vnus è nostris domesticus coadiutor Antonius Sanchez: hunc strenuè opus promouentem studium cæpit aptādi lapides eo organo ligneo trahendos: casu in medio tractu funis implicitus hæsit; nec vlla arte adhibita sursum ferri, aut

G 2      deor-

deorsum trudi poterat. Antonius impatiens moræ, temerè pedem impressit funi, & impulit morantem: ecce tibi machina eo impulsu acta momento impetum caput; & funis repulsus Antonium superstantem excussit, & in altum summa vi eiecit: volanti per aërem ingemuere adstantes, & hominis vicem anxij, attoniti expectabant, dum caderet: venit ille præceps, & caput terræ allisit, ex quo disrupta pars cranij sanguine per oculos, nares, os, & aures emanante moribundum prodidit. Iacuit luxato corpore, dissipatis membris, truncus sine sensu, sine motu: conclamari captus; & quidem nullum in eo vitæ vestigium deprehendebatur: agebatur de illo efferendo; cùm accurrerit Almeida clamore excitus, rogans quid rei esset? cõperta re, hilari vultu caput semianimis ex-

ce-



cepit manibus, ac super illud S. Euangelij Ioannis initium recitauit: tum bono animo Socios esse iussit. Breui ad se redijt Antonius, & paulò post, ingenti omnium admiratione, melius habuit. Recepit Almeida Socijs incolumem fore, nec ex eo casu moriturum, ope S. Xauerij, qui simile quiddam in Marcello Mastrilli praestiterat: ita omnes cura liberauit. Vixit deinceps Antonius, & vitam acceptam retulit Almeida, qui eam tamen ad Xauerium referebat: æquo humilitatis prodigio, ac fuerat species miraculi, cui Almeida modestè, vt aiebat, nobiliorem quærebat authorem.

Habent animi, vt, & corpora, ægritudines suas: atq; longè gloriosius est, & prodigijs nobilius, reuocare illos ad sanum, bonumque habitum, quàm humores corporum discordes natiuo concen-

tui reddere, & membra perditam  
instaurare. Multa in hac parte,  
eaque illustria Ioannes patrauit  
ex ijs vnum deligam, quod om-  
nium instar esse poterit. Versa-  
batur in fluuio Ianuario iuuenis  
Lusitanus honesto loco natus, qui  
militiæ primùm nomen dederat,  
& adolescentiæ florem peccandi  
licentia corruperat: conuerso po-  
steà ad mercaturam studio, totus  
coaceruandis pecunijs, nulla ha-  
bita iusti, & æqui ratione, inhia-  
bat. Huic sæculi negotijs impli-  
cito, & multorum vitiorum cali-  
gine immerso, quidã diuinæ bo-  
nitatis radius affulsit, mentemq;  
iniecit redeundi ad meliorem  
frugem, & omnes antè actæ vite  
fordes apud Ioannem confessa-  
rium deponendi. Igitur per ali-  
quot dies omnium peccatorum  
confessionem apud illum ritè per-  
egit, tanto doloris sensu, vt vix  
pos-

possent inter confitendum à lacry-  
mis, & gemitibus temperare . Et  
quia nihil se gratius Deo factu-  
rum putauit, quàm tanti viri ve-  
stigij insistere , eumque cælestis  
viæ ducem, & spiritus magistrum  
habere, ex eo tempore totum se  
illius arbitrio fingendum, ac for-  
mandum commisit. Euènit paulò  
post, vt castigandi corporis cau-  
sà, ferreum cilicium ab Almeida  
peteret, acutis totum confixum,  
clauis , cuspidibus introrsum ad  
ferendam carnem conuersis, quò  
se aduersus hostem domesticum,  
Satanamque muniret: haud igna-  
rus. quantis ille viribus, dolisque  
contendat, à sectanda virtutis via  
tyrones Christi auertere . Cæte-  
rum vix corpus cilicio cinxerat,  
cum carnis stimulis ita exagitari  
se sensit , vt nullo possent loco tu-  
tus consistere . Inops consilij ad  
Ioannem confugit, rem exponit,

auxilium implorat. Is cognitis diaboli fraudibus, quibus nondum bene firmatam tyronis virtutem conuellere nitebatur, eisdem vtendum artibus ad salutem censuit, quibus ille ad perniciem abutebatur: ergò restitutum sibi à tyrone ciliciū suo appressit corpori, & continuò iuueni reddidit, iussitque vt illo iterum se fidenter muniret: sperabat enim fore, vt in posterum superatis hostibus, victor euaderet, & nullis Satanae fraudibus esset obnoxius; vt re ipsa euènit; nã in reliquū vitæ tempus (quod iure mireris) omni prorsus libidinis sensu caruit.

Contigit etiam, vt eiusdem iuuenis è silice ignitabulo scintillas extudentis oculum dissiliens indè particula grauitè læserit, non sine acerbo sensu doloris. Ioannes, ne minùs esset in curandis animi, quàm corporis morbis præstans,

stans, signo Crucis super oculum  
efformato, filicis particulam ex-  
cussit, & dolorem repentè seda-  
uit: quædam tamen rubri coloris  
nota, præteriti mali index, reman-  
sit in oculo, vt iuuenis acceptum  
à Deo, Ioannis interuentu, bene-  
ficium præ oculis semper habe-  
ret. Eundem præterea graui au-  
ditus dolore vexatum, verbo,  
*Ephpheta*, Seruatoris nostri more,  
pronuntiato, & signo Crucis auri-  
bus impresso, confestim leuauit:  
eaq; ratione, & Medici, & Magi-  
stri partes in discipuli laborantis  
utilitatem gessit.

Hæc dum Ioannes agit in Flu-  
uio Ianuario: nec minùs prodi-  
giorum multitudine, quàm sanctæ  
vitæ exemplis, & frequentibus de  
Deo sermonibus, omnes ad pie-  
tatem accendit: ardens inuidia,  
Satanas, secundùm rerum cursum  
suis, vt solet, artibus interrompe-

re, & Almeidam de medio tollere cogitauit: ita se res habuit. Vocatus ad confessionem cuiusdam Brasili, qui morti erat proximus, nulla interposita mora, itineri se commisit, paucis comitatus indigenis: dumq; laxandi animi causa, multa cum Socijs per viam de rebus caelestibus miscet colloquia, proiectū summa vi ab alto saxū prætereuntis caput grauius vulnerauit, & mortuo similem in terrā deiecit: tum verò Socij solliciti, anxijque hinc, indè circumspicere (solitarius enim locus erat) & tanti sceleris authorem diligentissimè perquirere: cunctis, circumquaque perspectis, nullus tanti flagitij author inuentus: omnibus persuasum, proiectū à dæmone fuisse saxum, qui iampridè Almeida maximè infestus, nullū non mouebat lapidem, vt eum occideret. Verū Dei seruus sibi  
iam

iam redditus, ne, dum medendo  
vulneri eo ipso in loco moratur,  
infirmus sine confessione decede-  
ret, statim circumuoluto temerè  
capiti sudariolo, totus sanguine  
perfusus, cæptū iter strenuè per-  
secutus, ad Brasili decumbentis  
tugurium medias inter filuas e-  
rectum, tandem peruènit: vbi, con-  
fidenti aures dedit, eumq; Sacra-  
mentis Ecclesiæ, & idoneis ad be-  
ne moriendum consilijs præpa-  
rauit; nec indè abcessit, donec il-  
le animam Deo redderet. Aliena  
salute procurata, ad Collegium,  
reuersus, Chirurgis sui curam ha-  
bere permisit: paucis post diebus,  
diuina magis, quàm humana ope-  
rante virtute, perinde, ac si nullū  
accepisset vulnus, ita integer fuit,  
ac vegetus. Porro nonnulli Socio-  
rum religione tacti, effusum in  
via è vulnere cruorem sudario-  
lis, & linteolis exceperunt, & do-

mos secum retulerunt : cuius postea virtus, multis graui morbo laborantibus saluti fuit.

### CAPVT SEXTVM.

*Referuntur illustres aliquot Ioannis predictiones.*

**N**Equè verò Brasiliæ, & Americæ finibus Almeida virtus, & fama se tenuit, sed Oceanum transgressa peruasit in Africam, & Europam: ac, ne rerum quæ nobis describendæ supersunt, magnitudini dicendi breuitate detrahamus, operæ pretium erit, eas fusiùs enarrare. Millesimus sexcentessimus quadagesimus primus agebatur annus, cùm Hollandi instructa in Angolam classe delatis (Regnum id est in ora extrema Aethiopiæ Occidentalis Lusitanorum imperio subiectum) Lo-

an-



andam Urbem illius primariam,  
nullo ferè negotio ceperunt, &  
imposito militum præsidio firma-  
runt. Magnam res Lusitana iactu-  
ram ea amissa Vrbe; Christiana,  
non minorem fecit; nec tam citò  
poterat reparari; tum quòd maior  
omniũ opinione erat; tum quòd  
Lusitanis Hispanico per id tem-  
pus bello distentis minimè vaca-  
bat in Angolanum vires, curasq;  
conuertere. Exeunte demùm an-  
no 1647. comparata magno im-  
pendio Vlissippone classis in An-  
golam soluit, Præfecto Salvatore  
Correa de Sà Benavidio, magni  
nominis Dynasta, & rei bellicæ  
peritissimo; qui celeritate vten-  
dum ratus, ineunte anno 1648. ad  
Sinum Ianuarium appulit, vt ibi  
quid optimum factu esset, explo-  
raret. Exscensione in terrã facta,  
nihil illi fuit antiquiùs, quàm Io-  
annem, de quo multa, & præclara

au-

audierat, conuenire, eumque de  
belli Angolani exitu consulere. Is  
transactis aliquot diebus; re prius  
Deo commendata, Præfectum a-  
dit, monetque, vt duodecima in-  
sequentis Maij die in Angolam  
vela faciat, & Loandam Urbem  
primùm inuadat: in ipso ardore  
certaminis, Assumptæ in cælum  
Virginis, & D. Michaelis cælestis  
militiæ principis, nomen inuocet,  
opemque imploret: hæc enim ra-  
tione fore, vt insignem de hosti-  
bus reportet victoriam, & anti-  
quum Lusitanis decus, marisque  
imperium cum libero commer-  
cio reddat. Id Ioannes diuino spi-  
ritu afflatus, vt rerum postea e-  
uētus docuit, oraculum fudit: quo  
Præfectum reliquit rei benè ge-  
rendæ spe, ac fiducia plenum. Er-  
gò is, vniuersis fausta precātibus,  
designatà sibi Maij die, in Ango-  
lam soluit. Iamque multum nauig-  
gan-

gando processerat, cum ad portum nomine *Quicombum*, multis à Loanda Vrbe milliarijs distitū, saluus appulit: ibique exposito in terram milite, diutiùs, quàm parerat, substitit arci condendæ intentus, quæ portus faucibus immineret, & hostium classibus eò tendentibus aditum præcluderet. Cæterùm res euènit memoratu digna, quæ Benavidij consiliū conatusque disiecit; & statione relicta, aliò classem nauigare coegit. Locatis namque ad *Quicombum* castris, & recreato utcumque milite, coorta repente tempestas in Lusitanam classem, intra commodissimi portus sinum in anchoris stantem, tanta vi incubuit, vt Architalassi rostratam ad scopulos allisam fregerit, ducentis quinquaginta epibatis, qui illa uehebantur, fluctibus haustis; socijs inspectantibus, neque auxilium ferre

re

re valentibus ; aliarum verò nauium vela contracta licet, disrupit, disiecit armamenta, & in vltimum discrimen adduxit. Furebat vnum intrà portum tempestas, & illius finibus se tenebat, reliquo extra portum, quàm latè patebat, mari pacato, nulloque agitante vento, summa torpente malacia. Attoniti rei nouitate vectores hebreant, incerti quid consilij caperent? qua ratione à periculo imminentis naufragij se explicarent intrà portus angustias conclusi? Receptis demùm ab ingenti pauore animis, immissam diuinitùs in classem credidere procellam, & rostratã fluctibus haustam, vt neglecti consilij, quod illis Ioannes fuggerat, poenas luerent; quippè qui Loandam rectà contendere, non Quicombum diuertere præceperat. Ad vota igitur, precesque conuersi, diuinum  
pla-

placare Numen, sibi que propitiū  
reddere curant. Exauditas suppli-  
cum preces ipse rerum exitus de-  
clarauit: tumidum namque pau-  
lò post mare deferbuit, remisit  
ventus, dissipatisque nubibus se-  
renitas cum luce redijt: & classis  
Præfectus instauratis intrà pau-  
cos dies nauibus, solutis ancho-  
ris in Loandam vela dedit: in  
cuius portum secundo nauigatio-  
nis cursu inuectus, quintadecima  
Augusti die Assumptæ in Cælum  
Virgini Sacra, primo statim im-  
petu Urbem cepit, vt ipsius Vir-  
ginis auspicijs bellum geri, admi-  
nistrari que constaret. Auctis ob  
expugnatam Loandam militum  
animis, viribusque in vnum col-  
lectis, ipsam Urbis arcem, quæ to-  
tius belli summa erat, oppugnare  
decreuit. Illam mœnibus, & ag-  
geribus, vndique Hollandi cin-  
xerant, & extructis pro locorum  
op-

opportunitate propugnaculis, maioribusque tormentis ad arce-  
 eendum hostem impositis, egregiè munierāt. Veruntamen expu-  
 gnato à Lusitanis propugnaculo Sancti Pauli, quod omnium fir-  
 missimum credebatur; de deden-  
 da confestim arce præfidiarij agi-  
 tarunt, quam paulò post iustis pro  
 tempore conditionibus Lusita-  
 nus recepit, ipsamet vigesima-  
 quarta Augusti die, qua septem  
 antè annis ab Hollandis occupa-  
 ta fuerat.

Dum hæc in Angola geruntur,  
 sparsus incerto authore rumor  
 per Coloniam Ianuariam latè  
 vulgavit, Lusitanos insigni accep-  
 ta clade à Loandæ obsidione re-  
 pulsos; classis etiam Præfectum  
 rei malè gestæ dolore subito ex-  
 tinctum esse: Hollandos præterea  
 illustri de Lusitanis parta victo-  
 ria, & opulenta præda potitos de

occupanda Brasilia, iam consilia,  
agitare. Hic temerè dissipatus ru-  
mor Urbis Ianuariæ ciues mirè  
solicitos, anxiosque tenebat. Nec  
decerant, qui susceptæ cōtra Hol-  
landos expeditionis authores,  
(nec Almeidae parcebant famæ)  
maledictis incesserent; & per vi-  
cinos Vrbi pagos indignas fide  
turbas mouerent. Ille vulgati ru-  
moris conscius, ne latius is per  
Brasiliam serpendo peruaderet,  
& tumultu cuncta compleret, cō-  
sternatos metu ciues, & mœrore  
torpentes ad fiduciam excitat, &  
bene sperare iubet, palàm denun-  
tians, comparatam iam à nostris  
de hostibus victoriam; & Loan-  
dam Urbem, quæ totius erat ex-  
peditionis scopus, nullo ferè ne-  
gotio recuperatam. Benavidium  
item classis Præfectum saluum, &  
incolumem esse: Classem deniq;  
Lusitanam bellica tumentem glo-  
ria,

ria, & spolijs Hollandorum onustam Sinum Ianuarium reddituram: ipso die, quo vndecim millium Virginum celebritas in Societatis Ecclesia ageretur, affuturum partæ victoriæ nuntium. Hæc Ioannes non semel affirmavit coram multis simul adstantibus Lusitanis; singula vti gesta erant in Angola, recensens, non secus, ac si præsens esset: eòque plus admirationis res habuit, quòd Loanda duo ferè millia milliarium à Sinu Ianuario abest. Habita prædictioni fides est: eximia quippè viri sanctitas, & quædam diuini spiritus indicia, quæ in ipsa facie emicabant, nullum relinquebant ambigendi locum. Breui interiecto tempore, ea ipsa, quam Ioannes designauerat, die, certus de Loandica victoria nuntius Sinum Ianuarium intrauit, qui Urbem ipsam, & Brasiliam vniuersam in-

cri-



P. Ioan. de Almeida. 165

credibili gaudio affecit, & conceptam iampridem de Ioannis sanctitate opinionem confirmavit.

Letum huiusce classis euentum infelix classis alterius casus excipiat, vt liquidò constet nullam rebus humanis solidam inesse felicitatem; sed alternantem fortunam vices tristia solitam lætis, & secundis aduersa miscere. Anno 1650. mense Iulio, Lusitana classis (flotam vulgò appellant) pretiosis onusta mercibus, è Fluuio Ianuario Lusitaniam repetebat: viginti numerabat onerarias, rostratas maiores tres, quæ cæteris præsidio erant: Præfectis Antonio Temudio, & Antonio Abreu de Freitas. Antequam solueret è portu monuit Almeida. Temudium, ne rectà Vlyssipponem nauigatione contenderet, sed ad Bahiam primùm, dictum uè à *Morro* portum in ipsa Brasilia, prorsus diuer-

uerteret, vt ibi quid optimum factu esset, exploraret: *Si suis non obtemperet monitis, malè se metuere, inquit, ne graue aliquod infortunium Lusitana flota patiatur.* Temudius tamen obiectæ formidini minimè cedens, Vlyssipponem versùs altum per Oceanum ferebatur: vbi vera illum subiit, sed nimis tarda, pænitentia facti. Ea namq; tempestate Robertus, & Mauritius, germani fratres, Caroli I. Angliæ Regis nepotes, Anglici Parlamenti hostes acerrimi, classis, cui præerant, reficiendæ causa, in Vlyssipponis portum se receperant, & à Rege Lusitaniæ honorificè excepti fuerant. Grauem propterea dolorem cepit Parlamentariorum Senatus, penes, quem rerum, tum in Anglia summa potestas erat, facinus indignum ratus Anglici Parlamenti hostes, specioso magis, quàm  
sa-

fano confilio à Lusitanis hospiti-  
tio excipi, & portus sinu foueri.  
Dolore igitur iracundiam acuen-  
te, BlaKum magni tum nominis  
ducem, cum triginta bellicarum  
nauium classe in Lusitaniam mi-  
sit; vt antè ipsas Vlyssipponensis  
portus fauces parato ad pugnam  
agmine consisteret, ibique hære-  
ret, & mare com meatibus infe-  
stum redderet; eaque ratione di-  
gnas à Lusitanis ob illatam, vt ip-  
se existimabat Anglis, iniuriam,  
pænas repeteret. BlaKus, data pri-  
ma nauigandi facultate in Lusi-  
tanium classe delatus, Vlyssippo-  
nensis portus fauces obsedit, &  
commercium ea cum vrbe mari-  
timum penitus interclusit.

Harum sanè rerum, quæ in  
Europa gerebantur, Temudius in  
America prorsus ignarus, totus  
ad nauigandum intentus, Vlyssip-  
ponem classe petebat. Ergò iam

vicinus portui in Anglorum na-  
 ues incurrit omni bellico appa-  
 ratu instructissimas. Pugna exte-  
 plo committitur. Onerariæ potif-  
 simum Lusitanæ ab Anglis præ-  
 dæ inhiantibus oppugnantur æ-  
 cerrimè: rostratæ laborantibus o-  
 pem ferre, tormenta displodere,  
 & quocumque se verterent, (v-  
 erant apprimè tormentis, ac bel-  
 latoribus communitæ) magnam præ-  
 stragem hominum, nauiumque suffe-  
 hostilium edere: nec suo deesse  
 officio Lusitani Duces, etsi nauium  
 numero, roboreque hostibus lon-  
 gè impares erant. In medio ardo-  
 re certaminis, per opportunè ac-  
 cedente maris æstu, lenis à pup-  
 spirans aura onerarias vndecim  
 quæ magis agiles erant, in portum  
 Vlyssipponis impulit: Septem  
 mercium grauante, & morante  
 pondere, in hostium potestatem  
 venerunt: tres, dum fugiunt An-  
 glos

glos, ab Zelandis prædonibus interceptæ: è rostratis duæ passis ad liberio-rem captandam auram velorum sinubus, fugiendo, pugnan- doque simul, periculum, Dei be- neficio, euaserunt: tertia, qua ve- hebatur Freitas, sua mole grauis, disruptis inter pugnandum velis, lacerisque armamentis, immo- bilis, & vni hærens loco, totum prælij pondus integrum ferè diem sustinuit: nec id alia ratione con- fici potuit, quàm iniecto vndiq; in ipsam igne, quo vsque ad a- quæ libellam conflagrauit. Ro- strata incensà, pauci e vectoribus, qui pugnae superfuerant, in An- glorum naues recepti, & ipso- rum hostium benignitate seruati. In hunc ferè modum dissipata Brasiliæ flota Temudius audaciæ poenas luit, & Ioannes prædictio- nis apud omnes laudem meruit: quippè qui diuino afflatus numi-

H ne

ne cognouerat antequam flota e Sinu Ianuario solueret, eò appulisse exploratoriam e Lusitania nauem, quæ nuntiabat, classem illam Perlamentariam Vlyssipponis portum insedisse, & aditum omnem maritimum, & commercium sustulisse. Proinde contineret se cum flota Temudius, dum alius nuntius idoneus aduenisset; vel tandiù moraretur, donec appetente iam hyeme, oceanus Lusitanicus foedis tempestatibus eo maximè tempore obnoxius, Blakum cogeret in hyberna secedere, & Vlyssipponis portum commercio apertum, liberumque relinquere.

Non hic vaticinandi finis fuit. Antonio Vaz. Soc. I. alumno, qui cum alijs quatuor Socijs ad nauigandum se comparabat, non semel prædixit Ioannes, illum graue admodum vitæ periculum eò

in

in itinere aditurum ; vti re ipsa e-  
uènit. Tres ferè menses à flotæ  
discessu iam decurrerant, cùm Io-  
annes in familiari cùm Socijs  
colloquio seriò affirmavit. *Te-  
mudij flotam aduersam admodum  
fortunam expertam esse* : cùm ta-  
men nullus per eos dies internū-  
tius ex Lusitania in Brasiliã per-  
uenisset. Ex quo liquidò appa-  
ruit Deum illi quid in mari Lusi-  
tanico tum ageretur in America  
ostendisse : idque Prophetarum  
more , absens pronuntiauit .

## CAPVT SEPTIMVM .

*Futura iterum , & absentia præ-  
uidet : hominum cogitationes  
introspicit .*

**Q**Væ superiori capite narra-  
uimus vaticinia , cæteris  
illustriora videntur ; plu-

ra tamen non minùs scitu digna  
 supersunt, quæ publicæ vtilitati  
 subducere sine iniuria non possu-  
 mus, nec debemus.

Saluator Correa Sà, vir prima-  
 rius, de quo non semel memini-  
 mus, consobrinam suam Domnā  
 Victoriam, illustrem fæminam,  
 Anno 1630. adhuc iuuenis, &  
 cælebs in Paraguaium, ad coniu-  
 gem eius Prouinciæ gubernato-  
 rem cum Matre euntem, officij  
 causâ, comitabatur. Profectus Flu-  
 uio Ianuario S. Paulum vsq; pro-  
 cesserat, certus ibi consistendi,  
 & inde Fluuium redeundi. Ve-  
 rùm Victoria & mater, quæ ma-  
 gnū in Societate Saluatoris præ-  
 sidium sibi esse, ac fore existima-  
 bant, enixè hominem rogarunt,  
 ne se desereret; & vlteriùs secū  
 ire pergeret: continuaret susce-  
 ptum iter, quod illæ non aude-  
 rent solæ, ac eius præsidio desti-  
 tutæ



tute conficere . Sustinuit sese Saluator , secumque serio de re tanta cepit agitare, quæ suis rationibus haud parum nocebat . Deliberantem nox oppressit ; somnusque altior cogitationes consecutus obruit iacentem vsque ad Auroram : cumque euigilasset , instaretque profectio , disputare secum vehementius cepit, ac proponentis more dicere, Ibone, an non ? quæ verba idemtidem repetebat . Anxium & affectum sonus quidam auertit : eo audito substitit , & vnde , vnde esset intentus obseruauit ? Comperit fenestram pulsari , quasi quis vellet secum loqui . Ad quem Saluator , *ecquisnam tu , & cuias ? Ibone , an non ? progrediar , an consistam ?* Tum respondere sibi visus est Almeida , cuius vocem optimè norat : ( Itò omninò , & reliquum viæ conficere Saluator

ne dubita : Saluus peruenies , & ibi vxorem duces : Sic Superi volunt . vale . ) Obstupuit Saluator , qui solus ea de re secum deliberrarat , Ioanne & inscio , & absente , quem tamen præsentem audiebat , iterque suadentem , & de connubio futuro , de quo nihil tum cogitabat , admonentem . Hæc cum secum agitasset , & vera prorsus esse comperisset , consilium cæpit progrediendi . Cæterum prosperè iter fuit : peruenit incolumis : vxorem duxit clarissimæ stirpis fæminam , quam honoris causa , nomino Domnam Catharinam Vellasco . Euenta fuere vaticinia , & ipsemet Saluator vatem fuisse Almeidam , & tum prædicauit , & hodie ; nam dum hæc scribo , in viuis est , magnis vocibus prædicat .

○ Nauarchus Lusitanus è sinu Ianuario in Sanctos Coloniam ve-

la

la fecerat ; sed quia fama vulga-  
bat omnia illa maria à Batauis  
pregonibus infestari, quidam So-  
cietatis Presbyter nauarchi pa-  
truus curis valde anxius erat ; ti-  
mebat enim ne in pyraticas na-  
ues nepos incideret . Ergo de  
nauigationis exitu Ioannem con-  
sultuit : qui, re prius Deo com-  
mendata, ita respondit: *Tuus, in-*  
*quit, mi Pater, nepos in medio na-*  
*uigationis cursu in Batauos pyra-*  
*tas incidit ; & quia oneraria, qua*  
*uehebatur, nec ferreis tormentis ad*  
*pugnandum satis erat instructa; nec*  
*ad fugiendum, mercium tardante*  
*pondere, satis apta, capto ab animi*  
*magnitudine consilio, ad obuias syr-*  
*tes nauem impegit, ne in hostium*  
*veniret manus : naue lacera, cum*  
*se in mare eiecisset, inter natan-*  
*dum, multum, diuque fluctibus elu-*  
*ctatus, usque saepe inuolutus, ac ce-*  
*lesti demum auxilio expeditus, iu*

*proximum littus euasit, toto licet corpore malè mulētatus.* Hæc Almeida, vti mari euenerant, non secus ac si præsens esset, affirmavit. Bimestri iam elapso, huius infortunij nuntius Sinum Ianuarium peruēnit, qui rem omnem ex ordine retulit, vti ille multo ante prædixerat.

Emanuel Paciecus de Mello, nobilis Lusitanus, ereptam sibi à Salvatore Correa de Sà Benavidio, classis Angolanæ Præfecto, Architalassi dignitatem ferebat ægerrimè: eam ob rem doloris impatiens in sinu Ianuario manere decreuerat, nec Angolam petere cum Præfecto. Dum secum tacitus hæc mente voluit, graui tentatus est morbo, quem conceptus ob illatam sibi iniuriã dolor vehementiùs aggrauabat. Cæterùm quia vir erat pius, ac prudens vt animæ saluti in tempore

pore

pore confuleret, in societatis collegium se recepit, ut si moriendum esset, inter sociorum manus, & preces animam Creatori redderet. Si verò conualesceret, Lusitaniam quàmprimùm per valetudinem liceret, se repetiturum, promisit: quam cogitationem nulli mortalium aperuit: hanc Ioannes diuino illustratus lumine, introspexit. Itaque cum iam mors esset in limine, & Emanuel a medicis pro desperato habitus, palam denuntiauit, fore, ut ægrotus breui meliùs haberet; in gratiam cum Præfecto rediret, neque Lusitaniam, uti destinarat animo, sed Angolam in eadem, prorsùs cum Præfecto nauis tenderet. Obstupuit Emanuel cum sua vidit consilia alto tecta silentio in lucem prodi: Ioannemque diuinitùs (neque enim humanitùs poterat) suas cogitationes a-

H 5 gno-

gnosceret. Et fuit prædictioni fides; nec defuit euentus. Paucis post diebus æger conualuit; eadem cum illo naui in Angolam soluit, vbi suscepto contra Hollandos bello strenuam reipublicæ nauauit operam.

Antonius Azeredus Coutinius nauigationē adornabat in Coloniā Spiritus Sancti, causā indagādi smaragdi fodinas, quibus illa regio abūdare ferebatur. Sed quia Capitis Frigidi promontorium, quod necessariò superādum erat, ab Hollandis hostibus obsidebatur, nauigationē aggredi formidabat. Almeida hominem curis anxium lætus affatur, iubetque timorem ponere, & celso animo mari se committere, die sabbati Deiparæ sacra: sperabat enim fore vt exorta repentè caligo, intendētibus se mari tenebris, conderet lucem, quæ Lusitanæ nauis

con-

conspectum hostibus eriperet; vitatoq; hac ratione periculo, Promontorium feliciter præteruecta ad destinatum portum breui apelleret. Ea vaticinatione Antonius in spem felicitatis erectus, solutis prius Dei matri votis, sequenti sabbato vela dedit. Iamque multum secundis ventis nauigando processerat, cum propè Caput frigidum in hostium nauium conspectum venit; cæterum Ioannis vaticinij memor, ad vota, precesque conuersus Deiparæ exposcit opem, vt imminens vitet periculum. Nec incassum fuisse ad illam preces: nam densa confestim nebula mari offusa, incubansque, Hollâdis Antonianæ nauis conspectum prorsus ademit, eosque haud secus, quàm in cæcis tenebris, errare coegit, & ab illa insequenda omninò desistere: quæ B. Mariæ Virginis patrocini-

nio magis, quam nebula maris  
 tecta, pyratis bellè delusis, &  
 promontorio facillimè superato,  
 Spiritus Sancti portum tenuit in-  
 columis.

Puellæ recens mortuæ paraba-  
 tur in templo nostro sepultura.  
 Fodiente humiliter, & angustè  
 humum fossore, quantum satis ef-  
 se duceret ad inferendum corpus-  
 culum; præterijt casu Ioannes, &  
 inspecto curiosius loco, fossori e-  
 dixit vt altiùs foderet: fore quip-  
 pè vt breui plura in eo cadauera  
 conderentur. Paruit reuerentia  
 viri. Dicto euentus fidem fecit:  
 intrà paucos dies cōtinuatis sub-  
 inde funeribus eiusdem sorores  
 tres sublatae, ac elatae, in eam il-  
 latae sunt sepulturam.

Vidua quædam pauper & no-  
 bilis nubilem habebat filiam for-  
 ma præstantem, sed destitutam  
 dote; huic promisit Almeida fo-  
 re,



re, vt ipsamet die idoneum puella sponsum inueniret : ecce tibi paucis post horis iuuenis honesto loco natus, viduæ domum ingreditur animo a nuptijs penitus alieno; dumque ibi paulum moratur cuiusdam negotij causà, sensit se occulto quodam spiritus instinctu ad contrahendas cum puella nuptias impelli: nec multo post summo fuerunt vtriusque partis consensu celebratæ.

Lusitanus, cuius nomen memoria excidit, in mediterranea expeditionem parabat Christiano indignam nomine, vt indigenas seu vi captos, seu blanditijs deceptos, in seruitutem abduceret: multos in id socios, adiutoresque coegerat, quorum animos capiendæ prædæ cupiditas occupauerat: duos item Brasilos iuuenes, qui Sociorum curæ suberant, vt itineris duces essent, proposita

ta

ta ingenti summa pecuniæ, con-  
duxerat. Ioannes rem odoratus,  
homines à suscepto consilio omni  
ope conatus auertere: imminen-  
tis periculi magnitudinem propo-  
nit; monitis, precibus, minis in-  
stat: sed posteaquàm operam se  
perdere sensit, Lusitanis diuini  
Numinis iram, multasque & gra-  
ues denuntiat clades: Brasili ve-  
rò itineris ducibus inter sylvas  
miserè perituros prædicit; sepul-  
turæ etiam honore, & christianis  
exequijs carituros. Vaticinatio  
verior fuit, quàm lætior. Itum  
vti decreuerant. Vix Brasili iniu-  
sto se bello peti senserunt, cum  
sublato ingenti clamore & co-  
niunctis inter se viribus impetum  
in hostes fecerunt, eosque, inie-  
cto etiam, vti apparebat, di-  
uinitus pauore animis, facile  
fuderunt, fugaruntque. Alia  
aliam, vt ferme contingit, cala-  
mi-

mitas subsequuta. Lusitanorum dux collectis ex accepta clade sociorum reliquijs, iisque ad aperendam sibi ferro viam opportuna oratione erectis, per inuios saltus, altissimosq; errabat montes, ubi cum fame & siti magis, quam cum hostibus certandum fuit. Ad hæc atrox morbi genus ægritudine animorum, rerumq; omnium inopia sensim roboratum, cepit per vniuersos serpere, vagariq; & quosdam absumere; inter quos obiere etiam duo illi Brasili iuuenes, qui, neglecto Almeide consilio, itineris duces Lusitano fuerunt. Pauci, magnis defuncti periculis, ad sinum Ianuarium redierunt. Ita per omnes ferè illius expeditionis authores peruagata cælestis ira, breui tempore pænas à singulis improbæ cupiditatis exegit. Infelicem huiuscè expeditionis euentum Ioannes à  
Deo

Deo edoctus agnouit, quingenta circiter milliaria absens: monuitque statim vxores defunctorum, vt illorum animas per sacrificia, precesque apud superos iuuari curarent.

Non semel euènit vt qui Ioannem ex facie nondum nouerant, de illius nomine & patria à socio, submissa admodùm voce, quærerent? quibus Ioannes longo quamquàm interuallo disiunctus, diuinitùs interrogationis cōsciùs, contenta protinus voce respondebat: *Mihi nomen est Ioannes de Almeida. Londini in Anglia natales habui.*

Vincentius Rodericius, optimè indolis adolescens, confectis iam humanitatis studijs, Societati se addicere cupiebat: quinquènnium ferè abierat, & sepè repulsam passus, voti compos fieri minimè potuerat: animo igitur in-  
de-

desperationem verso, Societatis homines, & scholas valere iussit; & leniendi causâ doloris, quem ceperat ex repulsa, in rusticanam villam secedere decreuit: instabat iam profectiois hora, cum Ioannes à Deo monitus, misso præproperè nuntio, Vincentium ad colloquium lætus accersit: venientem peramanter excipit; & ne studiorum cursum interrumpat, enixè rogat: recipitque, illum intrâ paucos dies Societati daturum nomen: nec fides dicto abfuit: vix pauci effluxerant dies, cum in Societatem fuit admissus.

Vertēte anno M.DC.XXXIX. res cōtigît memoratu digna, quam summa fide & sinceritate referam. Diuerterat Almeida in oppidum *Bonicucangam* nomine, amæno propter mare loco situm, non tam laxandi animi causâ, quàm rerum cælestium meditatio-

tio-

tioni vacandi . Ibi intempestæ fe-  
 mel noctis silentio , sereno cœlo,  
 & stellis internitentibus latè con-  
 spicuo , inambulabat in littore  
 vno comitatus Lusitano , cui no-  
 men Eñmanuel Pirez Esquacia,  
 viro pio & honesto: multosq; cum  
 illo de rebus diuinis habebat ser-  
 mones : dumque solito attentius  
 contemplatur stellas , derepente  
 focium compellat , iubetque in-  
 tento in cœlum digito , stellam  
 cæteris clariorem fixo oculorum  
 obtutu intueri ( quæ semestri fe-  
 rè spatio suū in Brasilia solet cur-  
 sum conficere ) Tum , Eñmanuel ,  
 inquit , *antequam illa desinat ap-  
 parere stella , Lusitania Regem ha-  
 bebbit Lusitanum .* Visa tum fidem  
 excedere vaticinatio ; quam ta-  
 men Almeida in collegium re-  
 uersus semel ac iterum ratam ha-  
 buit . Mirari qui audierant, quæ-  
 rereque inter se : qui tandem id  
 fie-

fieri posset, cum Philippus Hispaniæ Rex, Lusitaniæ tum imperitaret; nec ullus suspicari posset quemquam à Lusitanis creatum iri Regem. Notatur nihilominus res, tempusq; ab ijs qui aderant, & ecce tibi semestri vix elapso spatio nuntius ab Vlyssipone missus Sinu Ianuarium intrauit, qui Iohannem Brigantiæ Ducem Regem à Lusitanis creatum affirmavit Kalendaris Decēbris Anno à Christo nato M. DC. XXXX.

Bahiæ in Brasilia portum valida nauium classe Hollandi obsederant Anno 1647. & intercepto illius Urbis commercio rem Lusitanam in discrimen adduxerant. Præerat tum suprema cum potestate Brasiliæ Antonius Tellez de Silua, clarissimæ familiæ Dynastæ: is qui multis ante annis P. Marcellum Mastrillium, fortissimum Societatis nostræ in Iaponia fidei

At-

Atletam, sua in Orientis Indiam  
 vexit naue. Ianuarij Rector col-  
 legij è re publica & Christiana  
 fore iudicauit, onerariam vario  
 commeatu instructam Bahiësis  
 rei frumentariæ inopia laboranti-  
 bus submittere, cui præficiendum  
 curauit quemdam Societatis lai-  
 cum, virum industrium, & rei  
 nauticæ benè peritum. Ceterum  
 quia res erat plena periculi, is  
 antequam nauem conscenderet,  
 Almeidæ precibus, & sanctis  
 sacrificijs se commendauit: qui  
 consulto prius Deo, oraculum  
 edidit, quod scripto mandari  
 voluit: *quandoquidem*, ait, *Su-*  
*periorum mandato, mari te com-*  
*mittere non formidas, certò scias*  
*per mediam Hollandorum classem*  
*Bahiam venturum incolumem.* Di-  
 ctis respondit euentus: oneraria,  
 duce & gubernatore laico, vnde-  
 cima die Maij e Sinu Ianuario

fol-



soluit, septima die Iunij sub ipsum hostium conspectum, clarissima luce, ad Bahiæ portum appulit salua.

Iusserat Brasiliæ Prouincialis, vt Ioannes Oliua de quo supra meminimus, in Bahiæ collegium se transferret: egrè ferebant Socij Ianuarienses Oliuæ discessum. Ioannes rei conscius, socios solatur, prænuntiatque. *Bahiam quidē breui iturum Oliuam, sed rediturum omnium opinione celerius.* Idque propria scriptum manu, quò maior haberetur dictis fides, descendentem ad littus fratri tradidit. Nec prædictio fefellit. Vix Oliua peruēnit Bahiam, cūm repetijt Fluuium Ianuarium, nostrosque ingenti gaudio affecit & Almeidae Sanctitatem suo aduentu confirmauit.

Id lōgè illustrius in medio navigationis cursu eidem contigit Oli-

Oliuæ. Atrox coorta tempeſtas nauem, qua uehebatur cæcis in fluctibus pene tranſuerſam egit; actumque de illa putabant omnes: in his rerum anguſtijs Oliua, diuino quodam inſtinctu motus, chartam Ioannis manu ſcriptam, quam apud ſe habebat complicatam, ad ventos explicuit: atque eodem prorsus momento, tempeſtas inſigni fanè prodigio conquieuit: inſperatam maris tranquillitatem vectorum admiratio conſecuta.

Die vigesima ſecunda Iulij (is Sanctæ Mariæ Magdalenaë ſacer est) Anni 1653. cęleſtis mentis impulſu præſenſit certa ſe eius anni die moriturum; idque prædixit familiaribus: addito, à Deo item accepiffe ſe vnum ex electorum numero eſſe. Ex quo ille tantum gaudium cepit, vt cum ſe continere non poſſet, Rectorem

rem collegij, & fratres adiret, & ijs causam exponeret, rogans, vellent Deo secum pro illo ac parerat, gratias agere.

Sub idem ferè tempus vnus Sociorum de æterna salute curis anxius vix poterat vllam capere, quietis partem; idque nulli mortalium detexerat. Commodùm illi fit obuiàm Ioannes, eumque iubet bono ac læto animo esse, & certam de sua salute spem concipere: quibus ille dictis quietior factus & hilarior, reliquum vitæ tempus in summa animi tranquillitate exegit.

Habitabat in rusticana villa, Maria à Cunha, vidua nobilis; ibique, nullo ferè rei conscio, de collocanda honestis nuptijs filia, Virgine cogitabat. Ioãnes a Deo edoctus in Vrbe, quid vidua in agro mente reuolueret, nuntium properè ad illam misit, per quem

ido-

idoneum puellę Spōsum designavit, moribus probum, diuitijs affluentem. Obstupuit Maria cum sua vidit consilia alto pressa silentio in lucem prodi: & Almeidam diuinitus de re tota certiore factum credidit: itaque illius dicto, seu oraculo paruit, & matrimonium perfici statim curauit.

Pernambuco ab Hollādis capta, aliquot post annis noctu orabat in templo Collegij Sinus Ianuarij Ioannes, multisque apud Deum precibus insistebat, & contenta etiam voce clamabat, vt populo suo misereri vellet, eamque florentem quondam opibus, & copijs Urbem Lusitanis redderet. confestim audire sibi Domini vocem visus est, qua redditurum se Lusitanis Urbem Significauit: vti re ipsa euēnit, vno circiter post illius obitum, anno.

Emanuel Vasconcellius in

Au-

fluuio Ianuario domicilium fi-  
gere decreuerat, mutato quod an-  
tea ceperat, tendendi in Angolā  
consilio : hunc Ioannes Brasiliam  
cogitantem impulit, vt ea relicta,  
in Angolam se transferret tum  
boni communis, tū priuati com-  
modi causā; Sperabat enim fore  
vt ibi secundus à Regio Præfecto  
esset ; strenuamque Reipublicæ  
Christianæ nauaret operam. Nec  
plura: Eñmanuel nauem sine mora  
conscendit; in Angolam soluit; ap-  
pulsus, ibi commodè habuit : se-  
cundum à Præfecto locum tenuit;  
præcipua Reipublicæ munia, non  
sine magna prudentiæ, & integri-  
tatis laude, exercuit.

Innumera alia, quòd ijs similia  
sunt, de industria omittimus, ne  
lectoribus molestiam afferamus.

## CAPVT OCTAVVM.

*Ioannis obitus, & funus.*

**C**onfecto octogesimo primo annorum curriculo, viuendi metam Ioannes attingebat. Vltimam sibi vitæ diem esse optauerat, quam Seruator humani generis primam in terris habere voluit Bethlehemmi natus, idque multis à Deo precibus flagitauerat. Creuit tamen cursu temporis citius moriendi desiderium, & grauem corporis sarcinam relinquendi, vt eo iam leuatus onere, expeditior ad cælum animus euolaret. Duodecima igitur Septembris die voti se compotem factum sensit; noxio quippè afflatus est aere, totiusque corporis membrum penè captus: vna superfuit libera ad agendum dextera: prouiden-

te

M. te quidem Deo, ne ita contrahe-  
retur, vt signum Crucis effingere  
non posset, & cælum intento di-  
gito monstrare non desineret, in  
quo ipse animo perpetuò habita-  
bat. Atque vt in cæteris, cùm gra-  
uissimis vrgentur morbis, tum maxi-  
mè vitiosa se prodit natura; ita  
in Ioanne tum præcipuè solida,  
atque excellens pietas, enituit:  
nam lecto affixus, & acerbis do-  
loribus cruciatus, inuictæ patien-  
tiæ documenta præbuit; morbūq;  
seu virtutum omnium palestram  
reddidit; quæ cùm per omnem  
luxissent ætatem, postremis, qui-  
bus ægrotauit diebus, vt in defi-  
ciente lumine euenire solet, cla-  
rissimè micuerunt.

Toto, quo decubuit tempore,  
mirā in ore hilaritatem prætulit:  
adeo vt in exilio adhuc positus,  
cælestis patriæ gaudia iam præ-  
cipere videretur: & lecto adstan-

tes iucundo illius adspectu exhilarati vix poterant suauissimis lacrymis temperare: Ingrauescente in dies morbo, Ecclesiae sacramenta ritè suscepit, hisque munitus praesidijs ad supremum cum morte certamen animum confirmauit. Semel tantum, de medicorum sententia, incisa vena sanguinem misit; quem statim viri pij religione tacti, linteolis exceperunt, futurum multis graui morbo laborantibus praesens remedium, vti suo loco videbimus. Imminente iam morte, Sociorum corona citatus, qui per vices succedentes animam agentem precibus iuuebant, & dulcissima I E S V M A R I A E nomina repetebant, Christi è Cruce pendentis effigiem, amplexus, placidissimè expirauit, die 24. Septembris, anno salutis MDCLIII. Vixit vltra octoginta annos; quorum vnum supra sexaginta-

gin-



ginta in Societate exegit, iusto  
semper, & æquali innocentis vitæ  
tenore. Demortui vultus adeò hi-  
laris, lætusque mansit, vt species  
ipsa corporis animi Deo iam  
fruentis beatitudinem indicaret:  
& omnes lecto assidentes cælesti  
quadam dulcedine, gaudioque  
perfunderet.

Vulgata per Urbem Ioannis  
morte, ingens omnium ordinum  
concurfus ad Societatis Colle-  
gium fieri cæpit, venerandi cada-  
ueris causà: hinc omnes lacrymas  
fundere, vel ex amissi patris do-  
lore, vel ex pietate, qua religio a-  
nimos imbuebat, & vota nuncu-  
pare, seu certa fide crederent il-  
lum inter cælites iam versari. Il-  
lud stupore dignum: Adolescens  
Almeidæ studiosissimus, qui gra-  
ue quiddam, ac ferium ad salu-  
tem animæ suæ pertinens iampri-  
dem agitarat animo, id reuoluens

ad defunctum accessit, quasi de  
eo deliberaturus: vix dum aspex-  
erat, cum Almeida subridens aper-  
tis oculis eum amanter, ac beni-  
gnè respexit, & annuentis instar,  
consilium probauit.

Continuò parari funus, solem-  
nis instrui pompa, & innumeri è  
sacris familijs viri, Principeque  
Vrbis templo ad Collegium  
confluere, vt iusta defuncto per-  
foluerent. Interfuit exequijs An-  
tonius Marisus Laurerius, qui  
*Administratoris* nomine in Sinu  
Ianuario Australibus Brasilię Ec-  
clesijs præerat, & Ludonicus Al-  
meida, antiquæ profapię Dynasta  
Colonix eiusdem Præfectus, cum  
vniuersæ nobilitatis flore. Iustis  
solemni ritu perfolutis, mansit in  
feretro corpus expositum, inte-  
grum ferè diem, vt illius contem-  
plandi copia per otium cuicum-  
que fieret. Tum verò vniuersa ci-

uitas

uitas ad id visendum accurrere: atque hi manus, hi pedes certatim exosculari: hi precarijs globulis corpus contingere, mox oculis admouere: multi flores spargere: omnes in loco hæere, nec inde auelli. Et quidem Præfecti Almeidae Satellites ad submouendam turbam de industria vocati, vix poterant ruentis ad feretrum populi impetum cohibere. Fama est erupisse magnam vim odoris è mortui corpore, qui per totam se diffudit afflatu mirifico Ecclesiam, & circumstantes diuini sensus impleuit.

Aegrè tandem turba submota, adultà iam nocte, ad sinistrum Aræ maximè latus sepulchro raptim est illatum cadauer, in arca lignea ad speciem monumenti composita inclusum: nulla prorsus addita inscriptione, quæ tanti viri gesta, & virtutes lectoribus

indicaret. Hoc scilicet gentis nostræ Lusitanæ genuinum vitium est (quæ fuit aliorum iusta de illa iam ante me querimonia) quàm est ad agendum prompta, tam esse ad scribendum tardam: ac si nihil intersit posterorum nosse, quid ipsorum maiores præclare gesserint, ut eorum viuendi rationem, ceu speculum intuentes, vitam quoque ipsi laudabiliter instituant suam. Ioannis effigiem vulgaris quidam pictor ut potuit, penicillo adumbravit, futuram nostris memoriæ causam, & incitamentum virtutis: magni quippè interest clara domi exempla, tanquam faces habere, quarum splendore ad pietatem accendaris. Fuit Ioannes indole mitissima, moribus suauissimis, quibus omnium amorem sibi conciliabat: statura corporis iusta, facie liberali, lata fronte, colore candido, rubore

in-

interfuso, oculis cœruleis, capillo subflauo; sed matura iam ætate, canitie venerabilis. Nocte funus consequenti, dum Socij diurnis fessi laboribus necessariam, corporibus quietem caperent, ingens ciuium Ianuarensium turba nimio pietatis incensa studio, in tempestæ noctis vsa silentio, & illius tenebris tecta, sensim ingressa templum, aperto sarcophago, sacerdotalem habitum, quo ritè indutum fuerat, dum terræ mandaretur, corpus, crepidasque detraxit pedibus, & capillos ex mēto nouaculis abrasit: qui pio ablati furto, domumque relati, ad depellendos postea e corporibus morbos, dæmonesque fugandos, potissimum, valuerunt.